

TRIBUNAL DIOECESANUM SALMANTICENSE

SALMANTINA

NULLITATIS MATRIMONII

(IN CASU EXCEPTO)

Sententia diei 7 aprilis anni 1959

Coram Ilmo. Dr. Dn. IOANNE SÁNCHEZ, Officiali Curiae

SPECIES FACTI

I. *Actuationes Officialis propria auctoritate.*

1. Die 14 septembris anni 1939, Ildefonsus matrimonium contraxit cum Anna coram facie Ecclesiae in ecclesia paroeciali "Scti. Marcelli", civitatis et dioecesis L. ut constat ex documento subscripto a paroco ecclesiae praecitatae Scti. Marcelli, dato die 19 ianuarii 1959, prout in exemplari authentico in actis recepto.

2. Die 6 maii anni 1958, D. López, cum mandato procuratorio valido in iure et sub directione advocati D. Serrano, uterque cum nostra approbatione, nomine actoris Ildefonsi exhibuit coram nobis libellum introductorium litis nullitatis matrimonii initi inter actorem et Annam, ex capite impedimenti dirimentis ligaminis ex vinculo prioris matrimonii Ildefonsi cum Mathilde, subsistentis tempore secundi matrimonii; matrimonium cum Mathilde valide celebratum, licet in forma extraordinaria, in adiunctis de quibus in C. 1098, tempore belli et seditionis communistarum in Hispania, invalescente persecutione religiosa, in oppido C. dioecesis L. coram iudice civili, secretario et duobus testibus, die 30 decembris anni 1936. Factum celebrationis hujus matrimonii constat ex restricto literali dato die 22 octobris 1958 apud acta existente (Fol. 65) hujus tenoris: (*Omissis*).

3. Post inutilia tentamina coram Tribunali Salmanticensi, dum munere Officialis fungeretur Dr. R., similiter coram Asturicensi et Legionensi, iam ab anno 1950, libellum introductorium causae denuo huic Tribunali Salmanticensi mittitur, invocata competentia ratione domicilii tum actoris, tum rei, juxta C. 1964. Constat de domicilio actoris in